

piae antiquitati, ob *erroneam doctrinam*, loco moventi Clericos, quod Marcelli, Eustathii, aliorumque exempla, apud SOZOMENVM ac SOCRATEM probant. 37) Multum quippe est, in errore deprehendi, tametsi de crimine Haereseos nunc non disputemus; Interest, potissimum emendari intellectum, 38) *debita Theologi moralia*, maxime requirimus; primum autem *requisita essentialia* urgemus, ac *veritatem* pro fundamento habemus, dum postea *pietati & paci* maxime litamus, 39) ibique cum primis requisitum divinitus τὸ εἰλικρινές probamus. Interest sc. quam maxime militiae Christianae, ubi ne semel quidem delinquere fas, ne minimus quidem in doctrina defectus toleretur, vel saltem pro innocuo habeatur. Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. 40) Vitrum, si vel paucillum saltem insit veneni, ori non facile admovemus, neque sic hilari animo libamus. In aquis limpidis, soli perviis, minima quoque impura in fundo iacentia observamus. 41) ARCA TESTAMENTI nomen est, non soli Antonio de Padua, sed religioso cuivis Theologo vindicandum; Haec vero auro per integram, ne ulla praeluceat in doctrina macula, debet esse obducta. *Noxium Ecclesiae est* (peregrinos, quod saepe malumus, si nostri fordeant forte, audiamus) *si vel parum in eam inferatur fermenti, h. e. erroris vel vitii. Errores ha-*

B 2

bent

*halte, und bekenne, daß das Leben anders seyn soll. Wo aber die Lehre verfälscht wird, da ist dem Leben auch nicht mehr zu helfen. Conc. in c. IX. Genes. Conf. PORTAE Pastoral. Luth. p. 147. seqq.*

37) Vid. BEBELII *Antiq. Sec. IV. T. I. p. 423.*

38) Socinianos quoque suam habere orthodoxiam, quae defendi possit, D. I. C. L. docet, *Respons. ad Storvium, p. 40. 79. Vulnera hic recentiora non tango.*

39) Vid. *de habitu Pietatis ad orthodoxiam*, Magnifici LOESCHERI *Timoth. Verin. T. II. c. I. p. 10. seqq.*

40) 1. Cor. V. 6.

41) *Ex εἰλικρινείᾳ haec docent, optimi Relat. innoc. Auctores. A. 1721. p. 873.*